

DE CIRCARIIS GALLIAE IN GENERE

Ordo Praemonstratensis in regno sui originis tanti fuit momenti¹⁾, tantique ponderis fuit Gallia pro toto Ordine, ut non secus ac pro Circariis Germaniae, conspectum historicum generalem Circariis Gallicis praemitere velimus, eo vel magis quod evolutio earum fuerit uniformis circa multa. Fuerunt intra fines Galliae modernae Circariae sex, scilicet: Francia, Ponthivi, Normanniae Borealis, Normanniae Australis, Arvernica, Lotharingiae; et quatuor aliae, quae partim, vel quoad maiorem partem intra regna vicina se extendebant, in quibus tamen elementum gallicum semper praevaluit: Flandriae, Floreffiae (quae huic capiti praecedunt), Gasconiae et Burgundiae. Quam ultimam, sicut et duo monasteria in Alsatia sita, in primo volumine tractavimus²⁾, reliqua omnia sequentur infra. Notandum est, Ordinem optime floruisse in Lotharingia, in provinciis Normandie, Champagne, Artois, Vermandois, Picardie, modestius etiam in Ile de France et in Gascogne. In Arvernia et in Burgundia pauca habuit monasteria, in Bretagne unum, in centro regni fere nulla, in parte meridio-orientali (Provence) pariter unam tantum domum, hancque tenuem.

Regnum Galliae saeculis XII/XV habuit extensionem longe minorem. Flandria quidem belgica tunc de jure spectabat ad illud, sed an. 1521 facta est sui juris; ceteroquin maior pars provinciarum eius orientalium pertinuit ad Sacrum Romanum Imperium, et paulatim tantum in decursu saeculorum XVI/XVIII Galliae est unita. Per bella continua Gallorum cum vicinis suis, Circariae quae limites regni excesserunt, practice sunt scissae, et Abbates Generales pro canoniis earum in Gallia sitis semper speciales solebant nominare visitatores. Circumscriptio tamen Circariorum mansit eadem usque ad initium saeculi XVII, sola abbatia Perray-Neuf videtur iam antea transisse de Normannia Boreali ad Arverniam, et Genlis, antiquitus Francia adscripta, postremo nomen dedisse videtur Circariae Flandriae. Saeculo XVII orta est „Congregatio Antiqui Rigoris“, quae reformatio a Communi Observantia se separavit, et in de-

¹⁾ Attamen inter quatuor magnos Ordines „praelatiales“ (OSB, OCist, OSA et OPraem) ultimum ibi tenuit locum.

²⁾ Haguenau p. 99, Strasbourg p. 85, Circ. Burgundiae pp. 354/73



cursum eiusdem saeculi 32 abbatias (ex 83 tunc existentibus) ad se attraxit³⁾. Circaria Lotharingiae exhinc esse desiit, et aliae Circariae tantopere sunt diminutae, ut mutationes visae sint opportunae. Capitulum Generale anni 1657 canonicas Septfontaines-en-B., Jovilliers et Riéval adscripsit Circariae Burgundiae, Iledieu et Bellozanne Ponthivo, et Cornolum Sueviae. Quae vero non videntur fuisse omnia deducta in praxim. Anno 1660, Lotharingi nondum reformati, et monasteria cuiuslibet Circariae in parte orientali Galliae sita considerabantur tamquam Circaria quaedam provisoria, absque nomine, quae anno 1686 definitive stabilita, „Burgundia et Campania“ vocabatur, saeculo XVIII vero „Campania“ tantum⁴⁾. Circaria Arvernica suppressa est. Cum monasteria Congregationis Antiqui Rigoris anno 1689 pariter dividerentur in tres Circarias (Franciae, Lotharingiae et Normanniae), Observantia Communis nomen Circariae suae Francia mutavit in „Praemonstrati“, cui addicta sunt etiam abbatiae quondam ad Floreffiam spectantes. Circ. Ponthivi unitur cum canonicis gallicis Circ. Flandriae, cuius nomen paulatim (authentice ab anno 1772) praevalet. Circariae Gallicae fuerunt, ut ita dicam, „forma Ordinis“. Gallia Ordini dedit cunas, in Gallia fuerunt omnia fere Capitula Generalia⁵⁾, cuncti abbates Generales — praeter tres — fuerunt Galli, et „proto-abbates“ omnes fuerunt linguae gallicae. Facile igitur est intellectu, mentem et indolem Gallorum in Ordinem et eius evolutionem eminentem exercuisse influxum. Constitutiones Ordinis quoad maiorem partem affines sunt statutis Cisterciensium et Congregationum Canonicorum O. S. A. in illo regno ortarum, et saec. XII ibi florentium⁶⁾ Liturgia et Ordinarius Ordinis, etsi sint radicis rhenanae⁷⁾, multa praebent elementa gallo-romana. Monasteria Galliae ab initio ab abbatibus regebantur, titulus praepositi non erat notus. Prioratus conventuales hinc inde fundati, praesertim in Gasconia, mox versi sunt in abbatias, aut in prioratus simplices, de quibus infra. Congregatio Antiqui Rigoris, ex timore commendae, novas suas fundationes fecit in modum priora-

³⁾ De qua vide infra speciale caput ei dedicatum

⁴⁾ Vide infra elenchos Circariarum Galliae an. 1766/70. Duo monasteria germanica, Galliae territorio an. 1689 resp. 1766 adnexa, scil. Haguenau et Wadgassen (v. vol. I 116), adnumerata sunt pariter Circ. Campaniae.

⁵⁾ Anno 1342, Cap. Generale celebratum est in Strahov-Pragae (*Monum. Vatic. Bohemiae* I nr. 57), saec. XV, propter bella continua, pluries in Belgio (v. supra apud Circ. Brabantiae)

⁶⁾ v. articulos H. HEIJMAN, *Untersuchungen*, et Ch. DEREINE, *Origines de Prémontré*.

⁷⁾ v. B. LUYCKX, *Essai sur les sources de l'Ordo Missae Prémontré* (*Anal. Praem.* XXII, 1946, 35/90)

tuum. Curiae a conversis excultae generatim saec. XIII abrogantur, sed inveniuntur usque ad saeculum XV⁸⁾. Problema monialium est nobis in exemplum, quomodo decreta Capitulorum Generalium in Gallia tantum ad amussim sunt obaudita, in reliquis vero Circariis interdum propter conditiones speciales, exegerint solutionem plus minusve differentem⁹⁾. Sorores, a B. Hugone primo Abbate Generali aegre visae, in posterum a Capitulis omni modo sunt restrictae et plus semel suppressae, ultima vice abbate Floreffensi instante, anno 1270. Anno 1140, de praecepto Capituli Generalis, sorores monasteriorum duplicium translatae sunt in locum remotiorem, pluries in curias abbatiae proprias. Quod in Circariis Lotharingiae, Floreffiae et Franciae generatim est peractum¹⁰⁾, in reliquis Circariis Galliae autem nonnisi raro. De sorte sororum multarum abbatiarum deest nobis omnis notitia. In documentis et in obituariis omnium fere abbatiarum ante annum 1140 fundatarum, in Normannia, in Ponthivo, in Flandria atque in Gasconia vix invenimus vestigium de monialibus. Forte haec monasteria numquam fuerant duplicia, aut si habuerunt sorores, eas statim anno 1140 suppresserunt. Asceteria in curias translata saepius elanguerunt, nullae sunt erectae pro illis aedes definitivae, moniales ab abbatibus avaris neglectae, paulatim in decursu saec. XIII sunt extinctae. Dum saeculo praefato in exteris regionibus, nobiles fundatores parthenones, ad filias collocandas necessarios, in esse conservabant, et sorores paulatim factae sunt „cantantes“; abbates Galli hoc impediverunt, et duo tantum parthenones videntur extitisse in fine saec. XIV: Bonneuil et Mirambeau. De sororibus Bonolii adhuc verbum fit saec. XV, et sorores „de Mirabello“, anno 1363 florentes¹¹⁾, videntur fuisse translatae postea in La Rochelle, ubi saec. XVI pariter perierunt. Sic Ordo secundus desiit in Gallia. Sorores donatae tamen extiterunt, in abbatia Justemont, usque in finem.

⁸⁾ Conversi fiunt rari a saeculo XV, in reformatione saeculo XVII resumuntur praesertim a Congregatione Antiqui Rigoris. In Circariis Observantiae communis, anno 1766 existebant universim 4 fratres conversi et 2 donati.

⁹⁾ v. N. BACKMUND, *Les divergences dans le développement de l'Ordre de Prémontré* (articulus a redactione periodici „Revue du Moyen Age Latin“, Strasbourg admissus)

¹⁰⁾ In uno alterove casu, etiam in his circariis nobis deest notitia de sorte (Beaulieu, Clairefontaine), immo de existentia sororum (St. Feuillien, Laval-dieu).

¹¹⁾ Existencia huius domus nuper innotuit ex *Lettr. com. Urbain V* (ed. M. LAURENT, Paris 1954) nr. 621. Probabiliter prodierat ex abbatia Planae Silvae, ei vicina.

Cura animarum multis abbatiis ab initio cordi erat, multiplicata sunt beneficia et ecclesiae incorporatae, canonicae partim fundatae sunt juxta antiquas ecclesias parochiales. Generatim ecclesiae abbatiales simul inseriebant parochiae. Tunc multoties aliqua capella lateralis, vel altare quoddam in ea erat „parochiale“; interdum etiam tota navis, reservato choro pro conventu. Administratio parochiarum et beneficiorum erat satis arbitraria. In Gallia vita ecclesiastica, saec. XII, iam bene erat ordinata, non opus erat missionariis; ecclesiae parochiales hic magis quam alibi habebantur ut mera beneficia, ad augendos redditus appetita. Fuerunt abbatiae 10—15 beneficiis praeditae, fuerunt aliae, quae ne unum quidem habebant. Maior pars paucas ecclesias tantum habuit. Anno 1766, ex 740 canonicis Observantiae Communis 246 fuerunt expositi in parochiis, quas totus Ordo in Gallia possedit 633¹²⁾. Saepe invenimus canonicos Ordinis in beneficiis saecularibus, et vice versa, et parvae canonicae expetiverunt sibi canonicos ex magnis, ut ecclesiis suis possent providere. Singulare quid erant in Gallia sic dicti „prioratus simplices“. Permulti scilicet fundati sunt saec. XI/XIII prioratus, canonicorum et monachorum, initio semper conventuales¹³⁾ sed ab abbazia quadam dependentes, interdum sui juris. Prioratus dependentes generatim postremo ab uno tantum sacerdote erant serviti, tum cum parochia vel officio quodam adnexo, tum vero ut merum „beneficium simplex“, redditus afferens, sed onera vix importans. Postremo maior pars parochiarum regularium habuit titulum „prieuré-cure“¹⁴⁾. Illae, sicut prioratus simplices absque onere, de facto (non quidem de jure) pluries erant ad praesentationem abbatis commen-

¹²⁾ Qui numerus includit omnes capellas dependentes. Notandum est, parochias in Gallia generatim esse minores quam alibi, et saepius unum sacerdotem deservire plures parochias.

¹³⁾ Originem habent in privilegio, quod a medio saeculo XII nequaquam Ordini ut tali, sed paulatim singulis eius abbatiis est concessum (cf. JAFFE 8662, 9049, 12244, 12437, 12617, 12653, 13631, 14410 etc), exponendi nempe in ecclesiis incorporatis tres vel quatuor canonicos, ad vitam communem obligatos. Unaquaeque abbatia in Gallia possedit saltem unum vel plures prioratus huiusmodi. Qui prioratus — tum cum munere parochiali, tum nuda beneficia, tum curiae — alium aspectum praebere videntur in constitutione sua ac in aliis regionibus. Numerus canonicorum illis adscriptus, a fine saec. XIII ad unum vel duos est reductus, sed titulus „prioratus“ remansit, immo et tribuitur ecclesiis, apud quas numquam talis communitas extiterat. Difficile ergo est dictu, quatenus ex hac multitudine beneficiorum initio fuerant domus plus minusve formatae, ideo censuimus eas non expresse, sed apud singulas canonicas esse adducendas, exceptis quibusdam maioribus in Gasconia.

¹⁴⁾ In Circ. Gasconiae beneficia regularia pluries vocabantur „grangiae“, et parochi ea servientes „grangarii“ (grangers).

datarii, qui eos dabat „in commendam“ personis Ordinis, sed saepius etiam aliis clericis¹⁵⁾.

In nullo enim regno, praeter Italiam, sinistrum systema commendarum tantopere totam fere vitam regularem paralyzavit quam in Gallia. Adhiberi coeptum est hoc systema a Curia Romana, quae a saec. XV per sic dictas „gratias exspectativas“ omnes nominationes ad beneficia quaecumque sibi reservavit¹⁶⁾, et beneficia pinguiora etiam extra Italiam sita coepit dare in commendam, et quidem pluries extraneis, infantibus et laicis. Quod valde displicuit non tantum Ordinibus, sed etiam Principibus. Pragmatica Sanctio, promulgata per Carolum VII regem Galliae anno 1438¹⁷⁾, gratias exspectativas abolivit et liberam electionem abbatum et episcoporum confirmavit. Cui statuto anno 1516 substitutum est nefastum illud concordatum¹⁸⁾, per quod ius nominandi concessum est regi ea sub conditione, quod candidati essent „qualificati et graduati“; promissio, quae a rege non tenebatur, et de qua in posterum Curia Romana parum curabat. Ut iam diu in Italia, tradita sunt deinceps et in Gallia monasteria fere omnia, paulatim creaturis saepe indignis, quibus rex quacumque ex causa favebat, et qui ne cogitabant quidem ad Sacros Ordines ascendere. Dissipaverunt bona monasteriorum in vita luxuriosa, religiosis egestate languentibus, claustrisque collabentibus. Etiam post concordatum interdum nominati sunt cardinales vel praelati itali¹⁹⁾. Admissa est scandalosa cumulatio beneficiorum, ita ut multi commendatarii, praesertim nobiliores, plures possiderent abbatias simul, quas per laicos delegatos solebant administrare, et quas ipsi vix umquam dignati sunt visitare. Effecta est per haec scandala vera confusio Ordinum, quia non tantum sacerdotes saeculares et laici, sed etiam religiosi qualescumque provisi sunt quibuslibet abbatibus. Benedictini obtinuerunt abbatias Prae-

¹⁵⁾ Dum abbatiae in primis nobilibus erant reservatae, prioratus occasionem praebebant „clero inferiori“ generatim pauperi, beneficia adipiscendi in commendam.

¹⁶⁾ Cf. TAIEE XX 210, et ea quae diximus supra in praefationibus ad Circarias Romanam, Hiberniae et Scotiae. Praeter haec regna, commenda erat tantum in usu in Polonia et in Hungaria, partim etiam in Hispania. Intra fines S. R. Imperii, principes cum successu huic abusu se opposuerunt.

¹⁷⁾ Quae sanctio alias ob causas condemnata est; Gallicanismum enim anticipavit, et theoriam „conciliarium“ defendit (cf. N. VALOIS, *Histoire de la Pragmatique Sanction de Bourges*, Paris 1906)

¹⁸⁾ Cf. J. THOMAS, *Le Concordat de 1516, ses origines et son histoire au XVI siècle*, Paris 1910, et H. LEMONNIER, *Histoire de France* V 1 pp. 252 sq.

¹⁹⁾ Concordatum expresse exceperat a commenda abbatias „Capita Ordinum“, nihilominus Curia Romana Praemonstratum dedit in commendam duobus Cardinalibus Romanis (v. articulos E. VALVEKENS)

monstratenses, et vice versa, Franciscani et Dominicani facti sunt abbates; et conditio, primo tali collationi adnexa, quod nempe „bullatus“ assumeret habitum Ordinis, cuius abbatia erat provisus, postremo non iam urgebatur.

Fatendum est tamen, commendatarios interdum casu fuisse sacerdotes pios, et viros probos, qui facti sunt communitatibus illis commissis veri patres et benefactores²⁰). Commendatariis non licebat se immiscere rebus internis Ordinis, nec de jure receperunt benedictionem abbatialem, et usi sunt pedo et mitra tantum in stemmate suo. Tamen haud raro sibi arrogaverunt iura abbatum regularium, et innumeri erant lites et processus, quos eorum elatio et rapacitas monasteriis infligebant. In provincias ad aquilonem sitas, cum saeculo tantum XVI/XVII fuissent Galliae incorporatae, commenda non ubique est introducta. Ita floruerunt abbatiae Théroouanne, Dommartin, Vicogne, Châteaudieu, Lavaldieu et St. André-au-Bois in quieta regularitate usque in finem, praesertim Vicogne et Dommartin fuerunt verae „columnae Ordinis“ sub omni respectu. In Lotharingia, rex Poloniae ibi regnans anno demum 1758 commendam introduxit, quam rex Galliae, post annexionem huius ducatus anno 1766, ad omnes fere abbatias extendit. In reliqua parte Galliae una alterave tantum abbatia tenuis evasit commendam, aliae pingues, ut Cuissy, Bucilly et Beaulieu, debuerunt regularitatem suam emere pretio pensionum fisco regio solvendarum. In tota Gallia, 54 tandem abbatiae Ordinis fuerunt sub commenda, et 22 regulares, in Observantia Communi, anno 1766, ex 52 abbatibus 15 tantum erant regulares.

Malum exemplum praelatorum illius temporis, resignandi nempe beneficia in manus cuiusdam propinqui vel amici, neglecta electione canonica, iam a saeculo XV etiam seduxit abbates regulares, qui tali modo nepotismo indulserunt, et ita multae abbatiae factae sunt sub commenda. Sed etiam quoad reliqua, multi abbates regulares vixerunt sicut commendatarii, vel peius illis. In initio mensae nondum erant separatae, tunc dilapidationi amplius erat locus, et quaedam domus tantopere erant ruinatae, ut ad tempus ne unus quidem religiosus in eis posset vivere. Anno 1618, Capitulum Generale decrevit partitionem bonorum in tres partes, duas pro conventu, et unam pro abbate. Abhinc „mensa abbatialis“ et „mensa conventualis“ ubique inveniuntur, sed practice saepe prima erat longe pinguior secundae. Religiosis erat stricte interdictum assumere beneficium a commendatario quolibet commissum. Quod decretum paulatim tantum, et nequaquam ad amissum executi sunt „abbates“. Illorum intererat, nu-

²⁰) Inter quos eminent Nicolaus Pseaume, abbas com. Sti. Pauli Viridunensis, qui Ordinem professus est, eique maxime fuit emolumento et honori.

merum religiosorum ad minimum restringere, et aedificia, quae eis erant in onus, reducere ad parvam capellam et unam alam claustralem. Ita multae ecclesiae vastae et quadra claustralia sunt destructa, et chorus ecclesiae tantum pro necessitatibus conventus adaptatus est. Anno 1790, in maiore parte abbatiarum non amplius extitit claustrum, aderant sex vel decem cellae tantum, bibliotheca minima vel nulla, sed sumptuosa domus abbatialis separata. Avaritia igitur commendatariorum fuit causa principalis, cur canonicae gallicae generatim a paucis tantum religiosis fuerint habitatae. Cui accesserunt aliae: nimius numerus monasteriorum omnis generis, et praesertim bella crudelia, quae laceraverunt Galliam a saeculo XIV usque ad XVII²¹⁾. Fuerunt abbatiae, in quibus per saecula duo vel tres tantum religiosi languescebant. Anno 1766, viginti quatuor abbatiae Observantiae Communitatis habuerunt religiosos pauciores quam 10²²⁾. Non quidem defuerunt tentamina reformationis. Ab initio saeculi XVI Abbates Generales zelose ei dederunt operam, sed commenda ipsius archicoenobii, et aliarum domuum omnia redegit in vanum. Joannes Despruets²³⁾, Abbatum Generalium maximus, antiquum splendorem et spiritum Ordinis conatus est restaurare, quod successores eius, minus tamen felici manu, prosecuti sunt. Congregatio Antiqui Rigoris novam vitam dedit immo canonicis sub commenda gementibus, tamen ei non successit, ad totum Ordinem se extendere; ad partem Galliae se restrinxit et ideo scissiones amarasque inimicitias intulit²⁴⁾. Communitas Observantiae tunc etiam reformata est. Status nobilium, omnia beneficia pingua retinens, summo quidem studio impetrare conatus est reformationem omnium Ordinum, sed ob hanc unam rationem, nempe: ut religiosi, ad primaevam frugalitatem reversi, paucis possent contentari, et reditus monasteriorum manerent ad dispositionem magnatum. Quomodo potuerint prosperare, vel austera sub regula, communitates 2—4 canonicorum, in quibus raro unus alterve novitius admittebatur? Abbates quidam Generales insuper magno fastu, immo dissipatione et elatione malum dederunt exemplum. Quae omnia effectus reformationis valde minuerunt. Praeter abbatias regulares supra dictas, saeculo XVIII, spiritus et vita, saltem in Observantia Communi, generatim non erant exemplares.

²¹⁾ Vide DENIFLE o. c. infra

²²⁾ 22 abbatiae habuerunt inter 10 et 24 religiosos, 7 tantum plus quam 25 (vide elenchum infra)

²³⁾ de quo vide infra apud Prémontré, et varios articulos E. VALVEKENS.

²⁴⁾ Vide MARTIN, et aliam bibliographiam infra suo loco.

Peculium in Observantia Communi erat admissum²⁵). Nomen religionis, in vestitione singulis religiosiis dandum, tantum in Congregatione Antiqui Rigoris erat in usu. Medio aevo, plures abbatiae erant ergastula regia pro integris provinciis. Jus pontificalium saeculis XV/XVII multis abbatibus est concessum, tamen de multis canoniis nihil constat hac de re. Certe magna pars abbatum hisce juribus non gaudebant. Titulus „abbatia regia“, primitus vere honorificus, foundationem per membrum dynastiae indicans, postremo ab unoquoque fere monasterio arrogabatur. Novitiatus communis, saeculo XVII in Circariis Franciae et Ponthivi primo introductus, postea a Capitulo Generali ad totam Galliam extensus est. Capitula Generalia cessaverunt ab anno 1738, eorum loco exinde celebrata sunt Capitula Nationalia Circariarum Galliae, praesidente Abbate Generali.

Multi religiosi medio aevo et etiam postea, mortui sunt in odore sanctitatis, sed unus tantum honorem altarium est adeptus: B. Gilbertus, fundator abbatiae Novemfontium. Studia et litterae non tantopere fuerunt in honore quam apud alios quosdam Ordines, vel apud nostros verbi gratia in Frisia et in aliis circariis, paucos relative invenimus auctores in Circariis Galliae²⁶). Sed magno cum zelo scriptores et copistae medio aevo repleverunt thecas, quorum operum extant pulchra exempla²⁷). Catalogi bibliothecarum ex eadem epocha superstites, probant, vitam intellectualem non fuisse neglectam²⁸). Primum Collegium studiorum Ordinis, fundatum est Parisiis saeculo XIII, et maximus historiographus illius, Ch. L. Hugo, ex eodem gente natus est. Scholas Ordo in Galliae vix habuit, sed post suppressionem Soc. Jesu aliquae canonicae conatae sunt huius gymnasia in vita servare. Saeculis XVII/XVIII activitas litteraria effloruit praesertim apud Congregationem Antiqui Rigoris, quae sibi etiam Collegium fundavit Parisiis. Programma studiorum, paulo ante Revolu-

²⁵) In Beauport: 150 Libr. annuatim (MS LESAGE, *Journal de Voyage*, Arch. Ep. St. Briec).

²⁶) Huius rei causa erat amor contemplationis exaggeratus, manichaeismum aliquomodo sapiens, et studia habens pro vanitate quadam profana et nociva. Inclinatio ad hanc mentalitatem Gallis videtur fuisse propria. A Cluniacensibus exiens, praeter Cistercienses etiam Ordinem nostrum attigit. Praemonstratenses numquam fuerunt „Ordo doctorum“, tamen malevole exaggerat Cas. OUDIN, asserens illum „ob profundam perpetuamque ignorantiam ante alios esse celebrem“ (*Commentarius de Scriptoribus ecclesiasticis*, Lipsiae 1722 I praef. et III c. 1625. De auctore illo apostata vide GOOVAERTS I 643)

²⁷) v. g. ex Cuissy et Belval

²⁸) vide GOTTLIEB o. c.

tionem a Capitulo Nationali decretum, portendebat optimum progressum in futurum.

Anno 1770 Ordo in Gallia possedit 92 monasteria²⁹⁾, cum 1298 religiosis, et redditibus annuis 761104 Librarum. Gubernium instituit anno 1768 sic dictam „Commission des Réguliers“, quae parvas communitates suppressit — ex Ordine nostro duas tantum: Bassefontaine et Bellevaux — et unicuique Ordini imposuit, statuta sua revidere, temporisque exigentis adaptare. Ideo Dominus Praemonstratensis convocavit Capitulum Nationale anno 1770, quod elaboravit nova statuta pro ambabus observantiis, liturgiam revidit, novasque editiones librorum liturgicorum praeparavit. Quae omnia scite fuerunt exarata. Abbas Viconiensis tunc in vanum studuit aptiorem modum impetrare electionis Abbatis Generalis, ita ut non conventus archicoenobii, sed abbates totius Ordinis caput commune abhinc eligerent, sed in cassum³⁰⁾. Si cessavisset corruptio omnimoda in regno et in hierarchia Galliae, praesertim systema commendarum, revera tunc fuisset spes reformationis profundae, etsi separatio a reliquis Ordinis partibus facta fuisset quasi completa.

Quae omnia eversa sunt in Revolutione Gallica, cuius primae victimae fuerunt Ordines et monasteria anno 1790. Suppressio eorum peracta est modo vere inhumano, omnia sunt profanata et vendita, non exceptis ecclesiis, quae rarissime tantum a parochianis sunt recuperatae. Religiosis data est modica pensio. Signum erat forsitan relaxationis, quod maior pars eorum, immo communitates integrae, praestiterunt iuramentum fidelitatis, a gubernio exactum. Plangenda valde erat destructio subsequens. Altaria et ornamenta ecclesiae, inter quae fuit abundantia thesaurorum artis et historiae, petulanter, systematice et vere „in odium fidei“ sunt destructae, minor pars eorum venit in ecclesias parochiales vicinas. Interdum, praesertim in quibusdam regionibus, rabies populi vel decreta usurpatorum aedes monasteriorum statim solo aequavit, sed maxima pars nequaquam hoc modo est eversa, sed paulatim, in decursu saeculi XIX, per negligentiam, impietatem et avaritiam eorum, qui post Revolutionem monasteria acquisiverant. Multa monasteria et templa praeclara, de quibus nunc ne lapis quidem superest, annis 1840/80 adhuc extiterunt integra. Ex 88 ecclesiis abbatialibus Ordinis in Gallia, integra subsistunt, cultuique inserviunt sequentes tantum: Laval dieu, Mondaye, Laon, Etival, Villers-Cotterets, Vaas, Lahonce. Ecclesiae sequentes subsistunt mutilatae, sed cultui sunt apertae: Licques, Silly, Rissons, Braine, Pleineselve,

²⁹⁾ Inklusis collegiis et prioratibus (vide elenchum hic infra) Complures abbatiae iam saec. XII/XVII interierant.

³⁰⁾ Arch. Dép. Aisne C 664

Grandchamp. Extant quidem integrae vel partim, sed pessumdatae sunt et profanatae: Pont-à-Mousson, Arthous, Doue, L'Étanche, Marcheroux, Etoile, Lieu-Dieu, Combelongue, Fontcaude, Ardenne, St. Georges-des-Bois, Ste. Marie-au-Bois, Lieu Restauré. Ruinae sunt sequentes: La Luzerne, Dommartin, Beauport, Belle-Etoile, Septfontaines-en-Bassigny, Jovilliers. Aedificia claustralia conspicua extant in Prémontré, Rengéval, Jandeures, La Castelle, Belval, Verdun. In bellis peractis (1914 et 1939) combusta et deleta sunt aedes quae supererant in Pont-à-Mousson, Laon, Amiens St. Jean et Genlis, necdum est certum, utrum solo aequantur an reconstruuntur.

Archivalia interdum destructa sunt in ipso actu Revolutionis; sunt abbatiae, quorum archiva fere integra perierunt. Hinc inde, religiosi absconderunt archiva et documenta, quae nunc sunt in manibus privatorum³¹⁾, vel data sunt Seminario Episcopali, ubi anno 1905 saepe confiscata sunt a Gubernio³²⁾. Magna pars archivorum venit in Archiva Provincialia (Archives Départementales), ubi optime asservantur³³⁾.

Anno 1815, Praemonstratenses superstites nullum fecerunt tentamen ad restaurandum Ordinem. Anno 1856 canonici e Belgio, advocati ab Episcopo Suessionensi, reverterunt in ipsum archicoenobium, sed ad breve tempus tantum. Eodem tempore D. Edmundus Boulbon, monachus Cisterciensis, restauravit „Antiquum Rigorem Ord. Praem.“ in Frigolet (an. 1858). Anno tandem sequenti instaurata est abbatia Montis Dei (Mondaye) ab abbatia Grimbergensi in Belgio. Fundati sunt dein saeculo peracto varii prioratus, partim sui juris, qui desierunt omnes praeter Nantes et Conques. Recenter coadunata sunt monasteria Galliae in novam „Circariam Gallicam“, quae hodie complectitur abbatias Mondaye (1953: 41 rel.) et Frigolet (item 30). Restauratus est etiam secundus Ordo in Gallia, in abbatia Bonlieu et in Mesnil St. Denis³⁴⁾, quae domus vero

³¹⁾ Citata sunt saepius cartularia, chronica et alia huiusmodi, cum nota: „actuellement propriété de Mr. N. à N.“. Quae MSS interdum nunc inveniuntur apud Societates Archaeologicas provinciales, sed pluries abierunt ad haeredes, et non iam inveniuntur. Investigationes nostrae in hisce casibus fere numquam successerunt.

³²⁾ Per legem separationis. Sic pervenit haereditas litteraria abbatis Ch. L. HUGO, verus thesaurus pro historia Ordinis, in Bibliothecam Municipalem Nanciensem anno 1907 (Vide supra p. 14, nota)

³³⁾ De hac re fusius infra, ubi „De Archivis“.

³⁴⁾ De monasteriis saec. XIX fundatis (Frigolet, Bonlieu, Nantes, Balarin, St. Jean de Côte, Conques, et saec. XX: Etiolles, Espaly, St. Victoret) vide infra in vol. III. Anno 1887 per aliquot tempus etiam antiqua abbatia L'Étoile restaurata est tamquam prioratus de Frigolet.

hactenus Ordini canonice non sunt aggregatae. Nova plantatio Ordinis in Gallia statim optimos fecit progressus, sed dura debuit subire persecutione per gubernium massonicum annis 1880 et 1903. Per annos canonici vixerunt in exilio. Post primum bellum in patriam reversae, hodie hae communitates tandem crescunt et multiplicantur, adestque bona spes pro futuro.

DE ARCHIVIS

Ordo archivorum in Gallia est exemplaris. Omnia archivalia divisa sunt in „séries“. Archiva monasteriorum post suppressionem coadunata sunt in „Archives Départementales“, constituens ibidem seriem H (Arch. ecclésiastiques régulières). Nostra interest etiam series G (hierarchia et clerus saecularis) et Q („biens nationaux“, alienatio bonorum post annum 1790), sed etiam aliae series (A, B, C, E, F, L) hinc inde continent res monasteria tangentes. Edita sunt inde a saeculo peracto inventaria summaria omnium serierum (ISAD), sicut et volumina dicta „Répertoires Numériques“ apte concinnata, quod vero opus nondum est terminatum. Pro multis provinciis³⁶⁾ inventaria seriei H adhuc desiderantur.

Archivum Nationale Parisiis est ditissimum, continens materiam de omnibus fere abbatibus Galliae, adnexae sunt illi multae collectiones, a privatis congestae et postea Archivo donatae. Tales collectiones, minoris tamen momenti, inveniuntur hinc inde etiam apud „Archives Départementales“. Longum esset, minutim haec enumerare, invenies tamen omnia nitide expositum in opere V. CARRIERE, *Introduction aux Etudes d'Histoire ecclésiastique locale*, 3 voll., Paris 1934/40. Archivalia, in genere Ordinem tangentia, habentur in Archivo Nationali Parisiis sub J 1035 n. 37, K 118 n. 124 bis, G⁹ 12 (1—3), et in Arch. Dép. Aisne, Laon C 691. In Bibliotheca Nationali Parisiis, sicut et in Bibliothecis Municipalibus — praesertim Lauduni et Nanceii — pariter invenitur materia pretiosa de Ordine, sicut et permulta MSS omnis generis ex abbatibus provenientia (Vide *CatMSSBDép*).

³⁶⁾ Quam vocem non intelligimus in sensu antiquo (province), sed moderno (département).

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

Abbreviationes:

Arch. Dép.	Archives Départementales, (Com. = Communales)
Arch. N.	Archives Nationales (Paris)
BMun	Bibliothèque Communale (sive: Municipale, Publique, vel „de la Ville“)
BN	Bibliothèque Nationale (Paris), FL = Fonds Latin; FF = Fonds Français.
BArs	Bibliothèque de l' Arsenal (Paris)

